

15281

P. DIONYSIUS HOLOWECKYJ, O. S. B. M.

---

FONTES IURIS CANONICI 170

ECCLESIAE RUTHENAE



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

—  
1932

281













P. DIONYSIUS HOLOWECKYJ, O. S. B. M.



# FONTES IURIS CANONICI

## ECCLESIAE RUTHENAE

Imprimi. Notandum tamen est leges particulares, provinciales vel patriarchales adprobari vel saltem non reprobari debere a Romano Pontifice, Christi in terris Vicaria, sine quo nulla lex et regula in Ecclesia esse potest.

Secundo, nomine « Fontes » intelliguntur fontes iuris cognoscendi, seu documenta in quibus leges, iura, consuetudines, etc. legitime auctoritate derivata reperiuntur.



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



P. DIONYSIUS HOLOWECKI, O. S. B. M.



2134

15281

FONTES IURIS CANONICI

ECCLESIAE RUTHENAE



TYPIIS POLYGLOTTIS VATICANIS

1935



# FONTES IURIS CANONICI

## ECCLESIAE RUTHENAE

**P. Dionysius Holoweckj, O. S. B. M.**

1. - Vox « Fontes » duplici sensu accipi potest. Imprimis significat principium iuris seu causam iuris efficientem. Hoc sensu designat voluntatem Domini Christi et auctoritatis ab Eo institutae. Romanus Pontifex *solus*, collegium Episcoporum in unione cum Romano Pontifice constituunt principium iuris universalis seu generalis; Episcopus vero in sua dioecesi constituit principium iuris particularis seu dioecesani. Plures Episcopi cum suo Metropolitano exhibent principium iuris provincialis; plures provinciae cum suo Primate, Patriarcha, constituunt ius patriarchale vel nationale vel alicuius determinati ritus.

Notandum tamen est leges particulares, provinciales vel patriarchales adprobari vel saltem non reprobari debere a Romano Pontifice, Christi in terris Vicario, sine quo nulla lex et regula in Ecclesia esse potest.

Secundo, nomine « Fontes » intelliguntur *fontes iuris cognoscendi* seu depositaria vel documenta in quibus leges, iura, consuetudines a legitima auctoritate derivata reperiuntur, sive singillatim sumpta



sive in collectionem redacta. Hic praeter S. Scripturas veniunt decreta conciliorum oecumenicorum, constitutiones Romanorum Pontificum, traditio, consuetudo; pro ecclesiis particularibus vero Pontificiae constitutiones pro aliqua dioecesi, provincia vel ritu, concordata, decreta synodalia conciliorum videlicet nationalium, provincialium aut dioecesanorum, decreta patriarcharum, metropolitaram, episcoporum, statuta praelatorum regularium, capitulorum, societatum iure autonomiae gaudentium, traditio, consuetudo. Inter depositaria iuris adnumerari debent praesertim in Oriente scripta SS. Patrum, quorum sententiae etsi per se canones non sint, ad vim canonis proxime accedunt; immo permultae sententiae Patrum vim stricti iuris habent, si a conciliis vel Pontificibus Romanis inter canones sunt relatae. Insuper ad depositaria iuris pertinet etiam praxis, quae indicare potest non tantum legem pure consuetudinariam, verum etiam legem olim a debita auctoritate latam et scriptam, quae tamen e memoria excidit atque hucusque pacifice in archivis sub archaico pulvere requiescit, vel quae propter malitiam temporum, tam crebram in Oriente, omnino periit. Hinc sedulo inquirendum est nimirum: 1° quid de facto a populo christiano eiusque clero in data materia observetur; 2° quali cum vinculo (i. e. utrum haec res obligatoria necne); 3° utrum data norma agendi universaliter ab omnibus orientalibus observetur, an tantum in certis ritibus; 4° servatis servandis attendi debet etiam praxis Ecclesiae Orthodoxae (ex hoc enim capite concludi potest antiquitas legis); 5° quo animo fideles in Oriente oppugnationem respectivae agendi normae receperint (utrum quiete, an potius cum admiratione, indignatione, scandalo); 6° sitne iuri naturae, divinae Revelationi, bono Ecclesiae, bonis moribus repugnans, necne; 7° an fuerit materia huius normae ab

Apostolica Sede subtracta et reservata, quo tempore, an pro tota Ecclesia, vel tantum pro Ecclesia Latina, an etiam pro Ecclesia Orientali in genere vel pro aliquo certo ritu. Idque eo magis, quod Romani Pontifices, recipientes in sinum Ecclesiae Catholicae schismaticos, in materia disciplinae nonnisi ea mutant, quae sacris canonibus, decretis Romanorum Pontificum, bonis moribus adversantur. Ideirco, praxis, in qua enumeratae conditiones non verificantur, nequit dici legalis, sed potius abusus.

2. - Quoniam scopus praesentis laboris est praecipue utilitas practica pro Codificatione Canonica Orientali in genere et pro codificatione iuris Rutheni in specie, referuntur hic fontes tam antiqui quam recentes, tum fontes qui ius vigens continent, tum qui leges in praesenti quidem non obligantes, tamen characterem disciplinae Ecclesiae Ruthenae detegunt. Libentissime fateor, non omnes fontes a me hic referri, praesertim decisiones ac decreta SS. Congregationum S. Officii et Propagandae Fidei, tamen quae referuntur, certissime materiam iuris sufficienter exhibent.

3. - Respicendo essentiam disciplinae haec prae oculis semper et clare sunt habenda: quum in Ecclesia Dei eadem sint fidei et morum principia, etiam disciplina iis principiis *immediate* superstructa *eadem* atque *communis* toti Ecclesiae esse debet. Sub hoc respectu non datur Ecclesia Latina, non datur Orientalis, nec Ruthena, Syriaca, etc. Aliis verbis dari in Ecclesia Catholica (absque respectu ad ritum) ius commune. Ita, ex. gr. ad ius commune pertinet, quod sacerdotes sanctiorem vitam prae saecularibus ducere debeant. Quoniam vero sanctitas vitae absque oratione ne cogitari quidem potest, hinc manifestum, sacerdotibus obligationem incumbere, ut orationi magis quam saeculares vacent. Sub hoc respectu non po-



test esse differentia in disciplina cuiuscumque Ecclesiae et Ritus.

Disciplina vero quae *mediate* superstruitur principiis Fidei et morum, quae enuntiatur conclusionibus ex praemissis mixtis, quaeque moderatur tum temporibus, tum locis, tum characteribus populorum, tum necessitatibus, opportunitatibus, periculis etc., varia esse potest; alia in Ecclesia Latina alia in Orientali, immo diversis temporibus alia et alia in una eademque Ecclesia, prouti historia docet. Hinc in huiusmodi legibus ferendis maxima cura, matura prudentia sagaxque circumspectio est adhibenda, ne ex una parte finis legis frustretur, ex altera vero ne onera ultra vires subditorum imponantur.

4. - In disciplina Ecclesiae Ruthenae duplex periodus est distinguenda. Prima periodus, a receptione Fidei Christianae, ab anno 988 usque ad annum 1595, i. e. ad Unionem Berestensem. Altera periodus ab anno 1595 usque ad tempora recentissima.

In prima periodo disciplina Ecclesiae Ruthenae non differt a disciplina Ecclesiae Graecae seu Byzantinae in genere. Dico « in genere » quia in particularibus differunt Rutheni a Graecis; in collectionibus iuris citantur etenim etiam sententiae SS. Patrum Ecclesiae Latinae, et leges graecas accommodant et suis conditionibus et circumstantiis. Cadit tamen sub oculos, quod desunt leges pontificiae (licet non semper ab Ecclesia Romana Rutheni et Graeci fuerint separati). Deficiuntne de facto Constitutiones Pontificiae? Audi in hac re Romanum Pontificem Nicolaum PP. I (saec. IX) ad clerum Constantinopolitanum: « Si decreta Pontificum non habetis, de neglectu atque incuria estis redarguendi; si vero habetis et non observatis, de temeritate estis corripendi et increpandi » (Migne, P. L., Vol. 119, pag. 1187).

Valor vero iuridicus legum ecclesiasticarum Ecclesiae Ruthenae idem remanet ac Ecclesiae Graecae,

a qua desumptae sunt. Quoniam autem Graeci maximam vim adscribunt Synodo Quinisexta (et revera universa disciplina graeca in ea comprehenditur), sufficit videre, quid de ipsa S. Ap. Sedes sentiat. Papa Sergius potius mori desiderabat quam « novitatum erroribus consentire » (Assemani). Nec adprobavit eam Papa Ioannes VII, nec Constantinus PP., nec Gregorius PP. II. Papa Ioannes VIII (872-882) videtur applicasse ei sequentem S. Athanasii propositionem: « ita in hac Synodo principalis Sedes admittit, ut nullatenus ex his illae recipiantur, quae prioribus canonibus vel decretis Sanctorum Sedis huius Pontificum, aut certe bonis moribus inveniantur adversae ». Aliis verbis, adprobantur canones, qui nec rectae Fidei, nec probis moribus, nec Sedis Romanae Ecclesiae decretis contrarii sint et in quantum praesentibus Ecclesiae circumstantiis sint opportuni.

In secunda periodo disciplina Ecclesiae Ruthenae maxima ex parte fundatur in Concilio Tridentino, legibus exceptis quae cum Ritu, locorum et temporum circumstantiis componi non poterant. Apicem in hac periodo assequuta est disciplina in Synodo Zamostena anni 1720, quae a Benedicto PP. XIII, speciali modo approbata fuit.

5. - Ordinarie fontes sequenti modo distribuuntur: I. Concilia Oecumenica; II. Romani Pontifices; III. S. Rom. Congregationes. De Conciliis Oecumenicis nobis hic non est agendum cum agatur de disciplina quae potius Latinos tantum obligat, si excipias 7 priora Concilia. Sed haec referuntur iam in collectionibus universalibus Ecclesiae Orientalis, immo adiunguntur eis quaedam Concilia particularia et canones Sanctorum Patrum. Invertitur proinde consuetus ordo hoc modo: I. Kormcaja Knyha, Synodi Provinciales Ecclesiae Ruthenae. (NB. - Proponuntur primo loco non ob auctoritatem sed ob plenitudinem materiae); II. Romani Pontifices;



III S. Romanae Congregationes; IV. Dispositiones potestatis civilis praesertim in Imperio Austriaco, quae ex parte nunc etiam obligant.

I. - KORMCA KNYHA  
et SYNODI PROVINCIALES.

A). *Kormca Knyha.*

Ecclesia Ruthena prima iam aetate sua (saec. X.) una cum ritu Ecclesiae Graecae, codicem quoque iuris canonici adoptavit et quidem lingua originali, cum Episcopi et sacerdotes fuerint plerumque nati Graeci. Saeculo tamen XI. existebat iam Nomocanon in lingua paleo-slava. Erat autem in usu duplex collectio et quidem: « Nomocanon XL titulorum » seu Nomocanon Ioannis « Scholastici » (Patriarchae Const. 566-577) et « Nomocanon XIV » titulorum (dictus postea Nomocanon Photii) compositus a Patriarcha Constan. Sergio (an. 610-638) et quidem in prima sua redactione. Qua in collectione includebantur Canones Apostolorum, quatuor Concilia Oecumenica, octo Concilia particularia et duodecim SS. Patres excepto S. Tarasio.

Hae collectiones substitutae sunt postea ab alia tertia iuxta Zonarae commentarium confecta (an. 1120) et in linguam bulgaram traducta, anno vero 1262 a Duce Bulganorum Sviatoslao Metropolitae Kioviensi Cyrillo II. exhibita et in Synodo Volodimiriensi (an. 1274) tamquam omnibus obligatoria proposita. Supramemorata collectio sub nomine « Kormca Knyha » seu « liber gubernatoris Navis » (i. e. Ecclesiae) continet sequentia: 1° Canones Apostolorum 85; 2° Concilia Oecumenica et quidem Nicaenum I-um (an. 325), Canones 20; Constantinopo-

litanum I-um (an. 381), Canones 8; Ephesinum (an. 431), Canones 9; Chalcedonense (an. 451), Canones 30; Trullanum (an. 681), Canones 102; Nicaenum II-um (an. 787), Canones 22; 3<sup>o</sup> Concilia particularia, Ancyranum (an. 314), Canones 12; Neo-Caesariense (an. 314-325), Canones 15; Gangrense (an. 340), Canones 21; Antiochenum (an. 341), Canones 25; Laodicense (an. 343), Canones 58; Sardicense (an. 343), Canones 21; Constantinopolitanum sub Nectario (an. 394), Canon 1; Carthaginiense (an. 419), Canones 143 et 5 Epistolae Canonicae; Constantinopolitanum (an. 861), Canones 17; Constantinopolitanum (an. 879), Canones 3. 4<sup>o</sup> Canones Sanctorum Patrum: Dionysii Alexandrini († 265) Literae Circulares I; Gregorii Neocaesariensis († 270) Canones 13; Petri Alexandrini († 311) Canones 13; S. Athanasii Magni († 373), Literae Circulares 3; S. Basilii Magni († 379), Canones 91; Timothei Alexandrini († 385), Responsa 15; Gregorii Theologi († 389), Canon Librorum S. Scripturarum; Amphilochoi Iconiensis († 395), Canon Librorum S. Scripturarum; Gregorii Nysseni († 395), Canones 8; Theophili Alexandrini († 412), Canones 14; S. Cyrilli Alexandrini († 444), Canones 5; Gennadii Constantinopolitani († 471), Canones de simonia; S. Tarasii Constant. († 809) Canones de simonia; Nicolai Constant. (a. 1086-1111) Responsa 20; Nicephori Constant. († 818), Canones 23; Ioannis Jejunatoris († 595) de Sacramento Poenitentiae (Euchol. Magnum). Insuper « Kormca Knyha » enumerat 17 Canones Apostoli Pauli, 17 Canones Petri et Pauli, 2 Canones omnium Apostolorum.

Codex Iuris complectens compendium Canonum Conciliorum et SS. Patrum prodiit Kioviae annis 1610, 1624, 1629. Insuper typis expressum fuit Nomocanon 12 Augusti 1646 Leopoli ab Episcopo Arsenio Zelyborskyj constans 331 canonibus. In hoc Nomoc-



canone praeter canones ordinarie apud Graecos citatos exhibentur regulae Lucae Constant. (1156-1169), Ioannis Episcopi Kitri (in fine saec. XII), S. Dionysii Areopagitae, Theodori Studitae, Antonii Magni, Simeonis Thessalonicensis, Abbatis Pambo, Sozomeni, S. Augustini, S. Ambrosii.

Forma exprimendi canones est sequens: ex. gr. Canon 170 « Sepelire mortuos in Ecclesia consecrata non licet: interdicitur hoc Regula 9-a S. Episcopi Kitrensis.

Ex hucusque dictis patet 1° in collectionibus canonum Ecclesiae Ruthenae non citantur auctores canonum ultra saeculum XIII-um; 2° omittuntur leges civiles; 3° non despiciuntur Regulae SS. Patrum Ecclesiae Latinae.

Consequenter licet Ecclesia Ruthena ritum et disciplinam assumpsisset ex Graecia tamen eam imitatur non modo caeco et servili sed cum criterio et absque aversione ab Ecclesia Romana. Quapropter ritus Ecclesiae Ruthenae nec est nec nominari potest « Ritus Byzantinus » sed prouti iam a saeculis est in usu Curiae Romanae « Ritus Graeco-Ruthenus » vel simpliciter « Ruthenus ».

Multo minus considerari potest Ecclesia Ruthena tamquam « Russa » (in sensu hodierno), in stylo Russo-Synodali, in stylo Imperatoris Russiae Petri Magni. Licet enim Ecclesia Russa originem suam a Ruthena ducat, habet tamen nunc formam et spiritum plane diversum et separatum.

« Ius Ecclesiasticum Graecorum » ab Em. Cardinali Pitra editum necnon Tomus CXXXVII et CXXXVIII Patrologiae Graecae (Migne) adhiberi possunt pro codificatione iuris Ecclesiae Ruthenae tamquam fontes subsidiarii et secundarii.

B). *Synodi Provinciales.*

1. - *Synodus Kioviensis*, celebrata anno 1147, convocata a Principe Magno Isjaslav. Praesentes erant episcopi ex Bilhorod, Juriev, Volodymyr Volynskyj, Novhorod, Smolensk, Perejaslav, Turiv, Polozk.

Agebatur gravis quaestio, utrum Rutheni ius habeant *independentem* a Patriarcha Constantinopolitano eligendi sibi et consecrandi Metropolitam Kioviensem. In hac Synodo electus fuit Metropolitane Clemens I-us Smolatyn.

(Vide: Peles, « Geschichte der Union », Vol. I, pag. 295-296-297).

2. - *Synodus Volodimirensis*, anno 1274 sub Metropolitane Cyrillo II° celebrata. Intererant praeter Metropolitane Kioviensem episcopi Novogrodensis, Rostoviensis, Perejaslaviensis, Polocensis, Volodimirensis. Edita sunt decreta disciplinaria et quidem de simoniaca ordinatione (episcopus deponitur, alii excommunicantur), de examine ordinandorum circa eorum scientiam et mores, de non miscendo chrismate cum oleo catechumenorum, de sacra Communionem subministranda neo-baptizatis et confirmatis, de impiis spectaculis et duellis diebus festivis (participantes excommunicationem plectuntur), de abusibus diaconorum in S. Liturgia, de sacerdotibus ebrietati deditis (sunt deponendi), clerici nondum sacris initiati benedicere fructus terrae et alia non possunt.

(Vide: Peles, « Geschichte der Union », Vol. I, pag. 434-438).

3. - *Synodus Novogrodensis*, (in Lithuania), celebrata anno 1415. Synodus convocata fuit a Principe Lithuano Vitoldo praesentibus episcopis ex Polozk, Cernyhiv, Luceoria, Volodymyr, Volynskyj, Cholm, Turiv, Halyc, Peremysl, Smolensk. In qua Synodo Metropolitane Kioviensis Photius natione graecus depositus fuit ob varia crimina praesertim ob dilapida-

tionem bonorum ecclesiasticorum; in eius locum eligitur Gregorius I-us Zamvlak.

(Vide: Peles, « Geschichte der Union », Vol. I, pag. 358-364).

4. - *Synodus Vilnensis*, anno 1509 sub Archiep. Iosepho Soltan Metropolita Kioviensi celebrata. Edita fuerunt 13 decreta - canones in re disciplinae, et quidem: de simonia, de ordinandis ex alia dioecesi, de idoneitate candidatorum ad presbyteratum, de depositione sacerdotum scandalose viventium, de litteris « celebret », de sacerdotibus viduatis, de amotione parochorum, de principibus patronis Ecclesiarum, de bonis ecclesiasticis, de negotiis saecularibus sacerdotum et episcoporum, etc.

(Vide: Peles, « Geschichte der Union », Vol. I, pag. 491-492).

5. - *Synodus Kobrinensis*, anno 1626 sub Metropolita Veliamino-Iosepho Rutskyj celebrata. Anno 1626 Urbanus VIII. ordinavit concilium provinciale metropolis Kioviensis cum decreto celebrationis eiusdem omni quarto anno in posterum. Usus regni (Polonici) non permittebat episcopis Ruthenis tenere concilium sine approbatione regis. Quae obtenta fuit mense Martio an. 1626 et primis diebus mensis Septembris in Kobryn praesidente Metropolita incepit Concilium. Partes habuerunt sex episcopi: Polocensis, Volodimirensis, Luceoriensis, Smolenscensis, Pinscensis, et Peremisliensis.

Primaria quaestio tractata fuit de erigendo seminario, insuper de remediis ad diversos abusos tollendos et ad restaurandam disciplinam clericorum.

Acta Synodi Kobrinensis Summus Pontifex Urbanus PP. VIII. die 6/XII. 1629 sancivit et ante approbationem mille thallerarum aurearum pro seminarii fundatione spondit.

(Vide: A. Guepin, « Un Apotre de l'Union des Eglises », Tom. II, pag. 169-172).



6. - *Synodus Nationalis* (Latinorum) in *Tyrnav*, ano 1648 celebrata in qua praesens fuit Petrus Parthenius Rotosynskyj-episcopus Ruthenorum in Sub-Carpatia petendo Unionem cum Ecclesia Catholica. Unio facta fuit solemniter in Uzhorod die 24/IV. 1649 (sed quo iure?) praesentibus 63 sacerdotibus Ruthenis. Anno vero 1652, 15/I., celebrata fuit Synodus Ruthenorum in Uzhorod, in qua petebant Unionem cum Romana Ecclesia et confirmationem episcopi Parthenii. Confirmatio Parthenii venit per Breve Alexandri PP. VII-i die 8/VI, 1655.

(Vide: Peles, « Geschichte der Union », Vol. II, pag. 359-361; Nilles, « Symbolae Eccl. Orientalis in Hungaria »).

7. - *Synodus Zamostena*, an. 1720 sub Archiep. Metropolita Kioviensi Leone Kiska celebrata, a Benedicto PP. XIII. die 19/VII. 1724 « Apostolatus Officium » speciali modo confirmata. Ordinationes, statuta et decreta Synodi Zamostenae lata fuerunt pro dioecesibus: Kioviensi, Novo-Grodensi, Minscensi, Vladimirensi, Brestensi, Luceoriensi (Luck), Chelmensi, Pinscensi, Vitebscensi, (Mscislaviensi-Orsaviensi), Mohileviensi, Leopoliensi et Peremysliensi. Pius PP. VII. in Constitutione « In Universalis Ecclesiae Regimine » anni 1807 decernit, ut Synodus Zamostena ab universa natione Ruthena observetur.

8. - *Synodus Leopolitana*, an. 1891 sub Metropolita Halycensi postea etiam Cardinali S. R. Ecclesiae Sylvestro Sembratovyc celebrata. Decreta huius Synodi « Recognita » fuerunt a S. Congr. de Prop. Fide pro negotiis Rit. Orient. die 1/V. 1895. In praesenti obligat dioec. Leopopolitanam, Peremysliensem, et Stanislaopolitanam.

II. - ROMANI PONTIFICES.

1. - GREGORIUS PP. VII., « *Filius vester* », an. 1075; Demetrio Regi Rusorum exoptat, ut B. Petrus eum et regnum eius custodiat ac idem cum omni pace et honore gloria quoque tenere eum faciat.

(Annales Baronii ad annum 1075).

2. - GREGORIUS PP. IX., « *Ex parte vestra* », an. 1233; committit fratribus Ord. Praedicatorum in Russia, ut clericorum et religiosorum immoderate vagantium licentiae frena iniiciant.

(Theiner, Monum. Eccl., Tom. I., pag. 23).

3. - GREGORIUS PP. IX., « *Ut fidei vestrae puritas* », an. 1233; accedentibus ad solemnem praedicationem fratrum Ord. Praedicat. in Russia indulgentiae conceduntur, ac fratribus praedicti Ordinis datur facultas absolvendi incendiarios ac clericorum percussores.

(Theiner, Monum. Eccl., Tom. I., pag. 23).

4. - INNOCENTIUS PP. IV., « *Cum te* », 3/V. 1246; Danielelem Regem Russiae eiusque regnum in tutelam B. Petri et suam recipit.

(Monum. Hung. Hist. Dipl. XII. 210; Regesta Pont., Vol. II., pag. 1025)

5. - INNOCENTIUS PP. IV., « *Cum is qui* », 3/V. 1246 (Lugduni); Danieli regi Russiae nunciat se Albertum Archiep. Prussiae et Esthoniae Ap. Sedis Legatum ad eius partes destinatum duxisse, « qui vobis verba vitae deferet et nostram voluntatem exponet ». Hortatur, ut eidem Legato super his et contra Tartaros consilium et auxilium impendat.

(Repolli, Bullar. Praedicat., I., 13, n. 140; Mon. Hung. Hist. Dipl. XII. 211; Raynaldi (non integr.) ad ann. 1246 § 29; Regesta Pont., Vol. II., pag. 1025).

6. - INNOCENTIUS PP. IV., « *Cum a nobis* », 27/VIII. 1247; Danieli regi concedit facultatem recuperandi possessiones, terras et alia bona ad eos haereditario vel alio iure spectantia, quae alii reges, qui in Ecclesiae devotione non permanent, contra iustitiam detinent, et propulsandi iniurias saeculari potentia.

(Marini, Dipl. Pont., 60-B; Mon. Hung. Hist. Dipl. XII., 233; Regesta Pont., Vol. II., pag. 1067).

7. - INNOCENTIUS PP. IV., « *Cum de te* », 27/VIII. 1247; Daniele rege Russiae supplicante episcopis et presbyteris Russiae indulget, ut more suo ex fermentato conficere et alios ritus, qui fidei Catholicae non obviant, observare possint.

(Raynaldi ann. Eccl. ad an. 1247 § 29, ad an. 1248 § 41-43; Mon. Hung., l. c., 232; Regest. Pont., Vol. II., pag. 1067).

8. - INNOCENTIUS PP. IV., « *Exigentibus vestrae devotionis* », 27/VIII. 1247; Danieli Russiae et Wlodermeriae fratri eius regibus et nato eiusdem Danielis indulget, ut nullus cruciferorum vel aliorum religiosorum in eorum terris acquisitis vel acquirendis, de aliquo se intromittere vel possessionem aliquam acquirere absque eorum beneplacito possit.

(Regest. Pont., Vol. II., pag. 1067).

9. - ALEXANDER PP. IV., « *Inter aliaque* », 13/II. 1257; Danielelem regem Russiae de defectione sua a fide Catholica obiurgat eumque monet et hortatur, ut perditionis viam abiuret et id quod de Romanae Ecclesiae obedientia, iuramento praestito, promiserit, inviolabiliter observet.

(Raynaldi, Ann. Eccl. ad an. 1257 § 26-28; Dlugossi, Hist. Pol., 779; Regest. Pont., Vol. II., pag. 1370).

10. - ALEXANDER PP. IV., « *Cum hora iam* », 13/IV. 1258; Fratribus Ord. Minorum in terris ... Ruthenorum, Tartarorum, Hungarorum concedit, ut



Verbum Dei praedicient, cupientes baptismum recipere Ecclesiae incorporent, excommunicatis absolutionis beneficia impertient.

(Regest. Pont., Vol. II., pag. 1407).

11. - URBANUS PP. IV., « *In tua magnificentia* », 3/I. 1262; Othokaro regi Bohemiae scribens laudat eius fidei zelum eumque hortatur ad crucem sumendam et quidquid sibi terrarum apud Ruthenos et Lituanos subiugarit, auctoritate apostolica ei attribuit.

(Regest. Pont., Vol. II., pag. 1481; Boczek, Cod. Dipl. Morav., Vol. V., pag. 249).

12. - URBANUS PP. IV., « *Agimus Deo laudes* », 4/VI. 1264; Presmilaum Otokarum regem Bohemiae rogat et hortatur, ut contra Ruthenos schismaticos et Lituanos potenti manu procedat, eique concedit ut terras Ruthenorum et Lituanoorum, quas per ministerium suum ad Christianam fidem converti vel expugnari contigerit, in suo dominio perpetuo retineat.

(Regest. Pont., Vol. II., pag. 1533).

GREGORIUS PP. X. (1273) Parasceviam († Romae 1239) monialem Ordinis Sancti Basilii Magni Hegumeniam Monasterii in Polozk in sanctorum numerum retulit.

(Peles, « Geshichte der Union », Vol. II., pag. 465, I., pag. 426).

13. - IOANNES PP. XXII., « *Ad regimen* », 18 Cal. Ianuarii an. 1321; Ecclesiae Ruthenae (?) Kioviensi praeficitur in episcopum Henricus Ord. Praedicat.

(Theiner, Monum., Tom. I., pag. 23).

14. - INNOENTIUS PP. VI., Anno 1353; Nicolaus Ruthenus Ecclesiae Premisliensi in episcopum a Clemente VI. praefectus confirmatur, et de more commendatur.

(Theiner, Monum., pag. 543, Tom. I.).

15. - INNOCENTIUS PP. VI., Anno 1354; Nicolao Rutheno electo Premisliensi, ut a quocumque antistite catholico consecrari possit.

(Theiner, Monum., Tomus I., pag. 555).

16. - INNOCENTIUS PP. VI., Anno 1354; Nicolao Rutheno licentia a Curia Romana ad suam ecclesiam recedendi datur.

(Theiner, Monum., Tomus I., pag. 556).

17. - EUGENIUS PP. IV., « *Laetentur coeli* », 6/VI. 1439.

18. - EUGENIUS PP. IV., Anno 1439, 17/VII; Isidorus Kioviensis et totius Russiae Metropolita legatus a latere in Lithuaniam, Livoniam et Russiam constituitur.

(Theiner, Monum., Tom. II., pag. 41).

19. - PIUS PP. II. Anno 1458, 3/XI.; Breve in quo circumscribitur (sub Metropolita Gregorio II) Metropolia Kioviensis (dioec. [Kyiv], Polozk, Berest, Smolensk, Luceoria, Volodymiria, Cholm, Peremysl, Lwiv, Halyc, Turiw), residentia Metropolitana in Vilna et Novogrodek; ab anno 1458 separatur Metropolia Kioviensis a Moscovitica.

(Haras., « *Annal. Eccl. Ruth.* », pag. 84).

20. - SIXTUS PP. IV. Anno 1475, 12/I.; Paulo de Cizuva clerico Rutheno Kioviensis dioec. ut sacramenta per sacerdotem latinum sibi ministrari possint.

(Theiner, Monum., Tom. II., pag. 179).

21. - ALEXANDER PP. VI. Die 20/VIII. 1500; Iosephus Soltan Kioviensis totiusque Russiae Metropolita Pontificem in literis « *Omnium Sanctorum* » de sua unione cum Romana Ecclesia certiore reddit.

(Theiner, Monum., Tom. II., pag. 267; Peles, Vol. I.).

22. - ALEXANDER PP. VI., « *Altitudo divini consilii* », 23/VIII. 1501; Ruthenos in magno ducatu ad

Ecclesiae Catholicae unitatem venientes, non rebaptizari Pontifex declarat.

(Theiner, Monum., Tom. II., pag. 267; Peles, Vol. I., pag. 489).

23. - LEO PP. X., « *Postquam nobis* », 16/IX. 1519; Mittit Praelatum domesticum ad pertractandum cum Duce Moscoviae ac Russiae, de illius gentis conversione.

(Bull. S. C. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 16-17).

24. - LEO PP. X., « *Accepimus nuper* », 18/V. 1521; Ritus, iura et privilegia orientalium contra iniurias cleri latini defenduntur.

(Haras., Annal. Eccl. Ruth., pag. 86-91).

25. - PIUS PP. IV., « *Iniunctum nobis* », 13/XI. 1564; Professio Fidei iuxta Tridentinum.

(Bull. Rom. Pont., Tom. IV., II., pag. 204-205; Synodus Zamostena).

26. - GREGORIUS PP. XIV., « *Cum alias nonnulli* », 24/V. 1591; de immunitate ecclesiarum, quibusdam exceptis casibus, inviolabiliter observanda (N. B.: ad quod habes etiam dispositionem Concilii Tridentini sess. XXV, cap. XX, et Bullam X, Ioann. PP. XXII. « *Ex parte* », Tom. IV., p. 250).

(Magn. Bull. Rom., Tom. IX., pag. 424-428).

27. - CLEMENS PP. VIII., « *Magnus Dominus* », 10 Kal. Ian. 1595; seu Bulla *Unionis*. (N. B.: Licet habeatur sermo de conservando ritu Ruth., de disciplina vero Byzantina ne verbum quidem habetur).

(Ius Pont. de Prop. Fide, Pars 1-a, Vol. VI., pars 2-a, pag. 230; Haras., Annal. Eccl. Ruth., pag. 202).

28. - CLEMENS PP. VIII., « *Benedictus sit pastor* », 7/ II. 1596; intercedit, ut Rex Poloniae episcopos Ruthenos Senatoribus Regni adscribat (sed frustra).

(Peles, « *Gesch. d. Union* », Tom. I., pag. 622; Annal. Eccl. Ruth. Haras, pag. 214-218).



29. - CLEMENS PP. VIII., « *Decet Romanum Pontificem* », die 7 Kal. Martii 1596; de iuribus Metropolitanæ.

(Haras, « *Annal. Eccl. Ruth.* », pag. 219).

30. - CLEMENS PP. VIII., « *Gaudium nostrum de Ruthenis* », 7/II. 1596; Pontifex regi ac proceribus ecclesiasticis et saecularibus regni Poloniae unionem Ecclesiae Ruthenae cum Romana Ecclesia impense commendat hortaturque, ut episcopos Ruthenos iisdem honoribus privilegiis ac libertatibus frui sinant, quibus episcopi Latini gaudent, praesertim vero ut senatoribus adscribantur.

(Theiner, *Monum. Pol.*, Tom. III., pag. 252).

Insuper in eadem materia scripsit Summus Pontifex ad: Gregorium Cardinalem Radzivilum, ad Stanislaum Archiep. Gnesensem, ad Ioannem Demetrium Archiep. Leopopolitanum, ad Stanislaum Ep. Chelmensensem, ad Hieronymum Ep. Cuiaviensem, ad Laurentium Ep. Premisliensem, ad Bernardum Ep. Luceoriensem, ad Ioanem Zamojski magnum Cancellarium regni Poloniae, ad Leonem Cancellarium Lithuaniae, ad Ianusium Ducem Ogstrogiae, ad Gabrielem Vice-Cancellarium Lithuaniae, ad Ioannem Tarnowski Vice-Cancellarium Poloniae, ad Nicolaum Firley Palatinum Cracoviensem, ad Nicolaum Christophorum Radzivil.

31. - CLEMENS PP. VIII., « *Romanus Pontifex eos specialibus* », 26/II. 1596; concedit Episcopis Wlodomiriensibus et Brestensibus, Rutheni Ritus, usum vestium sacrarum, quas Saccocium appellant, dalmaticarum et tunicarum instar, dum sacrosanctum Missae sacrificium divinaeque officia pontificali more celebrant.

(Ex Regest. in Secret. Brevium).

N. B.: Simile privilegium eadem die, iisdemque expressum verbis concedit PP. Clemens episcopis Luceoriensibus, quibus sacras vestes rubri coloris dono dedit.

(Bullarium Dipl. et Privilegiorum S. Rom. Pontificum, Edit. Taurin., 1865, Tomus X., pag. 252-254).

32. - CLEMENS PP. VIII., « *Recreaverunt nos* », 18/I. 1597; gratulatur episcopis et proceribus Poloniae de Synodo Brestensi Ruthenorum feliciter absoluta, commendatque ipsis et regi episcopos Ruthenos, qui ad possessionem omnium iurium concessorum admittantur.

(Theiner, Mon. Pol., Tom. III., pag. 269).

33. - CLEMENS PP. VIII., « *Significatum nobis est de asserto Patriarcha Graecorum qui apud Constantinopolim residet* », 5/VI. 1597; Constitutio Pontificia, qua excommunicationis sententia ab asserto Patriarcha Constantinopolitano in episcopos Ruthenos caeterosque ex clero et saecularibus eiusdem gentis ad unitatem Ecclesiae nuper reversos lata irritatur et annullatur.

(Theiner, Monum. Pol., Tom. III., pag. 270-271).

34. - CLEMENS PP. VIII., « *Vera narrat maiestas tua* », 5/II. 1600; Hypatius Wlodomiriensis ad ecclesiam metropolitanam Kioviensem transfertur.

(Theiner, Monum. Pol., Tom. III., pag. 274).

35. - CLEMENS PP. VIII., « *Significavit nobis* », 9/VIII. 1603; Commissio Nuntio Apostolico apud Sigismundum Poloniae regem commoranti ut Unionem, apostolica auctoritate factam, atque ecclesiam metropolitanam Chioviensem (ritus Rutheni) ab Archimandria seu Abbatia Pecarensi dissolvat.

(Bull. Dipl. Priv. S. Rom. Pontificum, Tom. XI, pag. 27-28).

36. - CLEMENS PP. VIII., « *Altissimi dispositione* », 23/IX. 1603; de ordine Basiliano.

37. - CLEMENS PP. VIII., « *Expedit tuae maiestati* », 31/III. 1604; Pontifex Regi Poloniae Unionem Ruthenorum impense commendat, utque eorum metropolita in senatorum ordinem admittatur.

(Theiner, Monum. Pol., Tom. Pol., Tom. III., pag. 283).

38. - PAULUS PP. V., « *Solet circumscripta* », 10/XII. 1615; de ritu non mutando.

(Annales Eccl. Ruth., Haras., pag. 252).

39. - PAULUS PP. V., « *In supremo apostolatus solio* », 10/XII. 1615; declarat promotos Ruthenos ad Cathedrales Ecclesias consecrationem libere et licite suscipere posse in assistentia Episcoporum Latinorum et e converso Latinos in assistentia ep. Ruthen.

(Annal. Eccl. Ruth., Haras., pag. 362; Reba, Enchiridion, pag. 11).

40. - PAULUS PP. V., « *Alias fel. rec. Clemens* », 23/XII. 1616; Rutheni participant in omnibus gratiis et indulgentiis quae a S. Sede Apostolica conceduntur.

(Annal. Eccl. Ruthen., Haras., pag. 363).

41. - GREGORIUS PP. XV., « *Russia schismaticorum* », 28/ 1622; committit Pontifex Regi Poloniae, ut Unionem Ruthenorum contra molitiones schismaticorum tueatur.

(Theiner, Monum. Pol., Tom. III., pag. 366-367).

42. - GREGORIUS PP. XV., « *Interest catholicae religionis* », 2/IV. 1622; Metropolitae Ruthenorum Pontifex significat procuratores eius ad visitanda limina Apostolorum a se exceptos fuisse.

(Theiner, Monum., Tom. III., pag. 367).



43. - GREGORIUS PP. XV., « *Inscrutabili* », die 10 Kal. Iulii 1622; erigit Congregationem de Propaganda Fide.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 1).

44. - GREGORIUS PP. XV., « *Genimina vipera-  
rum* », 28/I. 1623; regem Sigismundum et Ordines Poloniae Pontifex adhortatur, ut Ruthenos catholicos contra atroces schismaticorum et Cosacorum persecutiones tueantur.

(Theiner, Monum. Pol., Tom. III., pag. 368-369).

45. - GREGORIUS PP. XV., « *Exponi* », 22/III. 1623; Archiepiscopo Kioviensi adiudicat praecedentiam super suffrag. Ep. Vilenensi Latini ritus.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 17).

46. - URBANUS PP. VIII., « *Inimici nostri* », 10/II. 1624; eundem regem Poloniae (Sigismundum) et proceres ecclesiasticos et saeculares, Pontifex hortatur, ut molitiones schismaticorum et Cosacorum contra Ruthenorum Unionem reprimant.

(Theiner, Monum. Pol., Tom. III., pag. 371-372).

47. - URBANUS PP. VIII., « *Sedes Apostolica* », 29/X. 1624; Erectio et privilegia Academiae in Zamost ».

(Vide: Regest. Brevium in Secret.).

48. - URBANUS PP. VIII., « *Sacrosanctum apostolatus officium* », 12/III. 1625; Mandat Metropolitanae Russiae, ut synodum provincialem singulis quadrienniis celebret.

(Vide: Bullar. Dipl. et Privil. S. Romanorum Pontificum, Tom. XIII., pag. 297-298).

49. - URBANUS PP. VIII., « *Sacra omnipotentis sponsa* », 7/VI. 1625; Metropolitam deterret a concedenda dispensatione Episcopis et Monachis vescendi carnibus nisi urgente necessitate.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Pars 1-a, Vol. I., pag. 47-48).

50. - URBANUS PP. VIII., « *Ut venerabilis* », 18/IV. 1629; Concedit Archiep. Kioviensi Iosepho facultatem dispensandi dioecesanos pauperes in tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis servata forma Tridentini.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 110).

51. - URBANUS PP. VIII., « *Ut Christifidelium* », 5/XII. 1629; Archiepiscopo Kioviensi permittit, ut Rutheni maneant in secundo matrimonio contracto vi decretorum Synodi Kioviensis et Kobrinensis, ex quo primum matrimonium clandestine innitum fuerat, dummodo primum consummatum non fuisset.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 116).

52. - URBANUS PP. VIII., « *Militantis ecclesiae* », 6/XII. 1629; Confirmat decreta Synodi Kobrinensis diei 6/IX. 1626, in qua plura ad utriusque cleri bonum ordinantur. Id est, de parvo seminario § IV-a; poenae in simoniacos § VI-a; de uniformitate in Missa § X-a; ne saeculares sacerdotes occupent monasteria § XII-a; singulis quadrienniis Synodi generales celebrandae sunt § XIII-a.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 116).

53. - URBANUS PP. VIII., « *Licet universorum* », 14/XII. 1629; irritat matrimonia clandestina; decr. « Tametsi » promulgandum est apud Ruthenos, post 30 dies a publicatione obligat.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 118).

54. - URBANUS PP. VIII., « *Sacra Congregatio* », 20/VIII. 1631; decretum de Unione Monachorum Basilianorum Ruthenorum in unam Congregationem.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 130).

55. - URBANUS PP. VIII., « *Licet universorum Christifidelium* », 21/IV. 1632; Inducit impedimentum clandestinitatis apud Ruthenos.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 139).

56. - URBANUS PP. VIII., « *Exponi nobis* », 21/II. 1633; Applicat villam Torokaniae Basilianorum collegio per Metropolitanam Kioviensem erigendo, pro instruendis adolescentibus Ruthenis et Moscovitis.

(Vide: Regesta in Secret. Brev.).

57. - URBANUS PP. VIII., « *Certis de causis* », 18/V. 1635; Commissio Nuntio Apostolico apud Poloniae regem, ut, petente Metropolita Russiae, inhibeat, ne regularium cuiuscumque Ordinis domus aliqua Zyroviciis erigatur.

(Vide: Bullar. Dipl. et Privil. S. Rom. Pontificum, Tom. XIV., pag. 475).

58. - URBANUS PP. VIII., « *Ut penuriae* », 20/VIII. 1635; Concedit Metropolitanae Kioviensi et Episcopis Ruthenis facultatem creandi tabelliones.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 166).

59. - URBANUS PP. VIII., « *Omnium saluti* », 4/VIII. 1638; Concedit indultum Altaris Privilegiati cuilibet Ecclesiae Cathedrali Rutheni Ritus.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 175).

60. - URBANUS PP. VIII. Textus professionis Fidei Orthodoxae praescribitur pro Orientalibus.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. I., pag. 227).

61. - INNOCENTIUS PP. X., « *Alias a felicis recollectionis* », 26/IX. 1648; confirmat constitutionem Clementis VIII. et Pauli V. super Academiam Zamostenam.

(Vide: Regest. in Secret. Brevium).

62. - ALEXANDER PP. VII., « *Cum tu felicis* », 8/VI. 1655; Archiepiscopo Strigoniensi concedit facultatem absolvendi Parthenium Episcopum Munkaciensem a censuris et suspensionibus, ut iste munera episcopalis iurisdictionis in Ruthenos diligenter exercere possit.

(Vide: Bazylovic, Pars IV., Cap. XII., pag. 69-70).



63. - ALEXANDER PP. VII., « *Sollicitudo pastoralis officii* », 30/V. 1665; commissio Nuntio Poloniae super convocatione novi capituli monachorum Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni cum opportunis facultatibus.

(Vide: Bull. Rom., Tom. XVII., pag. 365-367).

64. - INNOCENTIUS PP. XI., « *Peculiari cum laetitiae* », 11/IX. 1677; laudat Metropolitam Kioviensem ob operam impensam in reditum ad Eccl. Catholicam Episcopi Rutheni Leopoltan.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. II., pag. 63).

65. - INNOCENTIUS PP. XI., « *Ad apostolatus nostri* », 20/X. 1683; irritat electionem Metropolitanae Kioviensis in Proto-Archimandritam O. S. B. M.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. II., pag. 66).

66. - ALEXANDER PP. VIII., « *Alias emanavit* », 21/X. 1690; prohibet Graecis etiam Episcopis elemosynas petere.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. II., pag. 133).

67. - CLEMENS PP. XI., « *Pastoralis officii cura* », 5/IV. 1709; eximit Confraternitatem stauropigianam et Monasterium S. Onuphrii Basilianorum Leopoli a iurisdictione Episcopi Rutheni Leopoltani.

(Vide: Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. II., pag. 262).

68. - CLEMENS PP. XI., « *Unigenitus* », 8/IX. 1713; damnantur et prohibentur quamplures propositiones excerptae ex libro sub titulo « *Le Nouveau Testament, etc.* » aut « *Abrege, etc.* » cum iudicio de reliquis propositionibus, et nova eiusdem libri damnatione.

(Magn. Bullar. Rom., Tom. XXI., pag. 567-575).

69. - CLEMENS PP. XI., « *Verbis exprimere non satis possumus* », 19/VII. 1720; gratulatur cum congregatis Ep. Ruthenis in Synodo Zamostena.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. II., pag. 337).

70. - INNOCENTIUS PP. XIII., « *Aeterni pastoris* », die 10/II. 1724; integre reservantur bona, res, iura, et actiones Ruthenis ad Fidei Unitatem revertentibus.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. II., pag. 363).

71. - BENEDICTUS PP. XIII., « *Apostolatus officium* », die 19/VII. 1724; confirmat Synodum Zamostenam.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. II., pag. 365).

72. - BENEDICTUS PP. XIII., « *Aeterni pastoris* », die 12/VIII. 1724; Catholici Rutheni recuperare et retinere possunt bona propter schisma ablata.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. II., pag. 366).

73. - BENEDICTUS PP. XIII., « *Cum sicut* », die 16/XII. 1728; absque consensu Archimandritae Monachi Basiliani inhabiles sunt ad officia et dignitates Episcopatus.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. II., pag. 411).

74. - CLEMENS PP. XII., « *Dudum emanavit* », die 26/III. 1736; prohibet Graecis cuiuscumque status sub quocumque praetextu pecuniam quaerere.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. II., pag. 479).

75. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Sacramentum poenitentiae* », die 1/VI. 1741.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 25. - N. B.: non obligat orientales in genere. Reba, pag. 141).

76. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Dei miseratione* », die 3-a Nonas Novembris 1741; de forma iudiciorum matrim., quae obligat expresse in Dioecesi Munkaciensi ex decreto Pii PP. IX. 28/ II. 1871.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 35).

77. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Etsi pastoralis* », die 7 Kal. Iunii (16 Maii) 1742; pro Italo-Graecis;

confirmat Constitutiones suorum praedecessorum disponitque de dogmatibus et ritibus.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 58. - N. B.: Ruthenos non obligat. Annal. Eccl. Ruth., Haras., pag. 398 et 442).

78. - BENEDICTUS PP. XIV., « *E sublimis sedis* », die 4/X. 1742; Episcopo Latino Auxerensi concedit facultatem conferendi Ordines etiam sacros ritu Graeco-Rutheno.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 82).

79. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Etsi dubitare* », die 27/XI. 1742; hortatur Episcopos Ruthenos, ut Unionem Monachorum O. S. B. M. sub unico Proto-Archimandrita promoveant.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 85).

80. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Demandatam coelitus* », die 24/XII. 1743; pro Graecis-Melchitis declarat non nisi auctoritate Rom. Pontificis Ritus Graecos mutare posse; disponit de iurisdictione Ep.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 124. - N. B.: obligat Ukrainos: vide Annal. Eccl. Ruth., Haras., pag. 404).

81. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Delata ad nos* », die 2/V. 1744; confirmat capitulum generale Dubnense PP. Basilianorum Ruth.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 163).

82. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Inter plures iucunditates* », die 11/V. 1744; laudat Unionem Basilianorum, disponit iura ad Ordinis Basil. regimen. (N. B.: an. 1146 locum habuit Concilium Nationale Kioviae contra Caerularium; Episcopi Rutheni in Concilio Lugdunensi I sub Innocentio PP. IV. professi sunt oboedientiam Romano Pontifici); quaestio de praecedentia § 16).

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 143).



83. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Apostolici muneris* », die 8/II. 1745.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 215).

84. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Quae ad ecclesiarum* », die 21/I. 1747; eveniente morte Metropolitae Kioviensis Athanasii Septyckyj interim constituit Administratorem.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 311).

85. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Ad dissidia* », die 1/IV. 1748; quaestio praesentationis candidati pro Metropolita Kioviensi. (Rex Poloniae potest praesentare quem vult).

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 371).

86. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Imposito nobis* », die 4 Kal. Aprilis 1751; Latinis in Russia-Polonica concedit facultatem celebrandi Missam super antimensiis, Altaribus, Calicibus et in vestibus orientalibus Ruthenorum.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 427).

87. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Etsi persuasum* », die 20/V. 1751; praecipit Basilianis observationem Ritus Graeci atque, ut linguae Graecae studeant.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 430).

88. - BENEDICTUS PP. XIV. Die 18/IX. 1751: promittit Episcopis Leopolitano et Peremysliensi se omnem operam daturum, ut transitus Ruthenorum ad Ritus Latinum impediatur.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 466).

89. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Opinionem quam* », die 27/V. 1752; laudat Florianum Hrebnyckyj (?Athanasium) Metropolitam Kioviensem ob translatum ius in praesidem generalem Monachorum O. S. B. M., cupit Monachos in unam Congregationem coalesci.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 512).

90. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Commendatissimum studium* », die 5/IV. 1753; excludit e Seminario Vilnensi alumnos Latini Ritus, advocandi sunt non nisi Rutheni et Moschovitae et 4 Basiliani.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 522).

91. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Inclytum quidem S. Basilii* », die 12/IV. 1753; solvit Basilianos a voto de non ambiendis Episcopatibus, monet tamen ne eos cupiant.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 526).

92. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Quae venerabiles fratres* », die 14/VIII. 1753; commendat Episcopis Ruthenis instructionem cleri neglectam.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 548).

93. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Quem religionis* », die 17/V. 1755; pro Italo-Graecis de abbreviatione Officii.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 595).

94. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Allatae sunt* », die 26/VII. 1755; pro Armenis et Syris; ablatis erroribus Ritus servandus est § 6; non licet mutare Ritum § 20; de Eucharistia SS. infantibus porrigenda § 24; de aqua tepida § 26; « *Filioque* » § 30; de Azymis § 34; unicum altare § 37; de Missa privata § 39; de Calendario § 42; de ieiuniis § 47.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 598).

95. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Ex quo primum* », die 1/III. 1756; de nova editione Euchologii. Quatuor monita § 20; Romae non nisi Romanus Pontifex commemoratur in Missa.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 628).

96. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Super familiam Domini* », die 30/III. 1756; determinat auctoritatem

Proto-Archimandritae O. S. B. M. in Polonia et Lithuania; relationem ad Metropolitam et Episcopos.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. III., pag. 658).

97. - BENEDICTUS PP. XIV., « *Avendo Noi* », concedit Graeco-Melcitis facultatem celebrandi pluries in die Missam in eadem Ecclesia et super eodem Altari.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. VII., pag. 188).

98. - CLEMENS PP. XIII., « *A quo die* », litterae Encyclicae diei postridie Idibus Sept. 1758; de unitate inter fratres servanda; de morum sanctitate; de libidine dominandi, de adulatione; de misericordia in pauperes; de humilitate; de contionandi munere; de residentia in dioecesi Episcoporum.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. IV., pag. 7).

99. - CLEMENS PP. XIII., « *Cum primum* », die 17/IX. 1759; Literae Encyclicae contra clericos negotiatores et negotiis saecularibus sese immiscentibus.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. IV., pag. 29).

100. - CLEMENS PP. XIII., « *In dominico agro* », die 19/XII. 1761; Litetrae Encyclicae de uniformi fidelium instructione in Fide Catholica.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. IV., pag. 65).

101. - CLEMENS PP. XIII. Die 15/VI. 1765; laudat Metropolitam Kioviensem Felicianum Volodkovyc pro consilio celebrandi Synodum.

(Ius Pont. de Prop. Fide, Tom. IV., pag. 117).

102. - CLEMENS PP. XIII., « *Magno cum animo* », die 13/VII. 1768; ad Imperatricem Mariam Theresiam, iuxta canonem IX-um Concilii Lateranensis VI. anni 1215 prohibet erigere Episcopatum Graeci-Ritus in Munkacs.

